



Patrocinium Defvntorvm

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

§. 5. Magnitudo doloris piorum Manium ab igne, quatenus illos urit, ratione probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

quibus minimum maius est, quàm maximum, quod in hac vitâ excogitari potest.

289. *Expenduntur dicta Patrum.* Jam observa, mi Lector, in Augustini quidem dictis verbum illud *cogitari*. In Anselmo ac Beda, *excogitari*, & disce flammârum lustralium vim his gravissimis authoribus atrociorē esse omni cruciatu, qui etiam mente capi possit. Atqui capi potest cumulus ille tormentorum, quæ huc usque à condito mundo tolerata sunt, & deinceps ad ejus excidium tolerari à mortalibus poterunt: Deinde capi potest numerus eorum, quæ sufficerent ad infligendas tot mortes, quot arenæ maris satis essent ad complenda immensa illa spatia à tellure usque ad firmamentum. Suntne lustralia acerbiora eo uno, quod omnium istorum acerbiter in se complecteretur? Tu judica, ego quid arbitrer, vix intelligo. Nisi fortè dicam Sanctos illos Doctores velle acerbiter ignium purgantium, non cadere sub distinctam notitiam mortalium, uti neque immensa illa innumeraque tormenta, quamvis utraque cadunt sub confusam. Sed formidini clariùs & meliùs occurri possit, ut opinor, si dicatur verba illa SS. Patrum accipi, ut aiunt, distributivè, non collectivè, id est lustrales rogos acerbiores esse singulis, quæ excogitari possint atrocissimis latronum aut Martyrum suppliciiis, non universis. Verùm ut ingenue fatear, neque hæc responsio formidinem prorsus discutit. Cogitari enim potest universa illa supplicia divinitus in unum hominem congesta, ab eo uno tolerari. Itaque adhuc hæreo, si Augustini aliorumque Patrum dictis pressè insisterendum est. Sed enim an sic inhærendum sit, magistra Theologia nos docebit.

290. *Theologi.*

Igitur, ut ad Theologos veniamus, eorum Princeps Angelicus Thomas in 4. distinct. 21. q. 1. a. 1. *Dicendum*, ait, *quod in purgatorio erit duplex pœna, una damni in quantum scilicet retardantur à divina visione; alia sensûs, secundum quod ab igne corporali punientur, & quantum ad utramque, pœna purgatorii minima excedit maximam huius vitæ.* Ita ille. Quem ut solet, tota ejus schola magistrum sequitur, & alii plurimi, quos referre importunum. Contrà, Bonaventura in 4. dist. 20. a. 1. q. 2. ut antea diximus, assertionem illam ita limitat, ut velit, licet ex suo genere pœna illa gravior sit omni pœnâ sensibili huius vitæ, adè ut si maximam cum maximâ compares, illa lustralis excedat, tamen à maximâ huius vitæ minimam purgantem superari. Quod quidem simile vero est. Nam si anima solâ ac levi

noxâ veniali inquinata decedat, certè summorum huius vitæ cruciatuum rea multis non videtur. Itaque Suarius etsi de pœnâ damni cum S. Thoma sentiat, de pœnâ sensûs agens rem in ancipiti relinquit. *Quid sentiamus paulatim nunc exponendum.*

§ 5.

Magnitudo doloris piorum manium ab igne, quatenus illos urit, ratione probatur.

291. *Naturalis cruciatus ignis omnium acerrimus.*
ACERBITATEM doloris ejusmodi gravissimam esse, nemo Catholicorum dubitare potest, uti nemo nescit ab ignis quadam ustione eam proficisci: quo modo hæc ustio explicetur. fac enim animas non atrocius in flammis illis purgantibus, quàm jam in corporibus vivis, atque adultis cruciari, cruciatum atrocissimum esse necesse est. Siquidem omnium pœnarum, ut ait Lescius de Perfec. divin. lib. 13 cap. 17. *quas humana natura experiri hætenus potuit, gravissima est pœna ignis. Cum enim cruciatus ex latione corporis, tactu percepta, atque ad temperiei dissolutionem, destructionemque animalis tendente nascatur*, maximus ab igne enascatur, oportet, quandoquidem ignis temperiem illam facillimè dissolvere queat, quippe elementorum valentissimum, atque adè omnia domare, atque in se convertere solitum. Accedit, quod cætera, quæ dolorem pariunt, ut plurimum extimas corporis partes, vix intimas, nec nisi paucas, ac lentius afficiunt. At ignis summâ celeritate se diffundit per tenuissimos meatus, atque intimos recessus corripit, subitque: eoque tyrannidem exercet truculentiorē, quò interiùs ac latius in corpus dominatur. Certè morborum ii acerbissimi, qui caloris plus in corpus invelunt, ii levissimi, qui minus. Et verò frigus tantâ cruciandi virtute pollere nequit, quantâ ignis cum stuporem afferat. Quocirca qui torridas illas Indiarum Regiones peragravit, noster Alexander de Rhodes, faretur sese rigorem nivium, quibus aliquando undique coopertus post reditum è Cochinchinâ pernoctavit, multò faciliùs, quàm illos æstus pertulisse, & constat eos qui frigore euecantur, sine gravi cruciatu emori.

292. *Etiam ex consensu tyrannorum.*
 Quare ignis supplicium semper omnium atrocissimum visum est. Ita Nabuchodonosor cum ad statuarum aurearum, quam erexerat, adorationem omnes compellere statuisset,

Patrocinium Defunctorum. Lib. I. 91

re statuisset, quò maximè eos, qui renue-
rent, perterrefaceret, fornacem, in quam
vivi injicerentur, coram succendi iussit.
Ita Nero mortalium truculentissimus, ut
crudeles oculos iucundiùs pasceret, Chri-
stianorum nocta ardentium flammis otio-
sè spectavit. Quin & ipse Deus, ut re-
terrimum omnium flagitiorum gravissimâ
penâ, vel in vitâ hac ad cæterorum terro-
rem puniret, flammâ sulphureas in Pen-
tapolim pluit, omnesque iis involvit. De-
nique supremum iustitiæ divinæ hoc in
orbe munimentum in universitatis huius
incendio & conflagratione statuatur.
Cum ergo tanta vis sit ignis nostratis, tan-
tusque ex naturali eius ustione dolor
erumpat, licet non alium pii manes in suâ
custodiâ perciperent, idque ad breve illud
tempus, quo anima corpori immersa citra
mortem illum perferre potest, profectò
gravissimus foret, & commiseratione dig-
nissimus.

393.
Atrocior
cruciatibus
ignis pur-
gantis est
naturæ suæ
relicti.

At longè aliter illos afficit, aliter ani-
mam corpori coniunctam. Ut enim po-
namus, quod antea asseruimus, ignem lu-
stralem eiusdem cum nostrate speciei ulti-
mæ atque essentiæ, tamen non pauca sunt,
seu ignem lustralem spectes, seu pios ma-
nes, unde maximam lustralis præ nostrate
vim, & acrimoniam existere compertum
est; etsi insuper solam utriusque naturam
intueare. Primum etsi uterque aliis im-
mixtus est elementis, ac materiæ mixtæ
uterque adhærescat; tamen nostras ac vul-
garis ignis, cuius vim tactu percipimus, è
lignis accendi solet, atque adeò multum
terreni, multum aquei habet, ac proinde
tantumdem frigidi humidique. Contra
verò lustralis flammæ fomes ac pabulum
non aliud quàm sulphur ac bitumen est,
quod utrumque, quia, ut diximus, igni ma-
ximè affine, illius acrimoniam non remit-
tit, sed potius exacuit. Sed fac nostrate
pice, aut sulphure, fac & simul bitu-
minè nutriti; tamen plurimum adhuc
purgatorio acrimoniam concedet. Enim-
verò Purgatorius cum sit copiosissimus,
totusque per omnes partes agat in pios
manes, vim maximam exerit in singulos.
Cum etiam undique conclusus, & in ar-
ctum redactus sit, procul dubio vehemen-
tius urit quàm si liberiùs diffusus esset. Est
enim, ut Philosophis perspectum, vis con-
iuncta fortior. Cum denique nullum in
eo carcere contrarium saltem intus, & in
visceribus patiat, hinc quoque ejus atroc-
itate vehementer ingravescit. Postremò
licet tellure, atque innato illi frigore cir-
cumvallatus sit, non modò non propterea
languescit, sed quadam antiperistaltici im-

potentiùs furit, quemadmodum ignem
calci inclusum cernimus affusâ aquâ po-
tentiorem insolentiorumque fieri.

Jam quod attinet ad pios manes, seu ad
animas corpore solutas; constat quoque
longè potentiùs atrociusque in eas ignem
sævire, quàm in corpori conjunctas. Si-
quidem anima corpori conjuncta eatenus
patitur ab igne, quatenus corpus ab eo-
dem læditur, sive quatenus ignis in corpus
agit. Atqui in illud agere nequit virtute
totâ; primo enim actionis momento resi-
stit igni corpus (quippe frigidum, & humidum
constans, quæ sane igni contraria sunt)
atque adeò resistendo, in ignem etiam ip-
sum agit, carpitque aliquid illius siccitatis
ac caloris; iraque vim ignis elidit. At
anima separata, nihil habet, quod igni ad-
versetur; nihil igitur, quo in illum agat;
quòve vim ejus infringat, ac proinde vim
illam, & acrimoniam totam excipit. De-
inde sic argumentatur Angelicus Doctor
in 4. dist. 21. q. 1. *Cum dolor non sit læsio,
sed læsionis sensus; tantò magis aliquis
dolet de aliquo læsivo, quàm magis est
sensitivus, unde læsiones quæ fiunt in locis
maximè sensibilibus, sunt maximum do-
lorem causantes. Et quia totus sensus
corporis est ab animâ, idè si in ipsam ani-
mam aliquod læsivum agat, scilicet proxi-
mè, seu ut loquuntur, immediatè, de neces-
sitate oportet, quòd maximè affligatur.* Ita
ipse. Et sanè dolorem animæ per corpo-
reos hebetesque sensus acceptum, he-
betiorem oportere esse, quàm proximè
in ipsâ receptum, quisque facile conce-
det. Adhæc dum ignis in corpus agit,
non æquè statim in omnes illius partes, sed
priùs in extimas, posteriùs in intimas sævit,
numquam in totum simul. Et licet statim,
anima tota, quippe partibus carens,
illico crucietur, non tamen tam graviter,
quàm si totum simul corpus perureretur.
At in pios manes, animasque corpore libe-
ras, totam statim sævitiam suam exerit;
utique perinde, atque si penetratis illico
omnibus corporis partibus, animam illi
coniunctam discrucietur.

294.
Maximè
quòd sævi-
at in ani-
mas corpo-
re liberae.

Sed nihil æquè hoc in genere exaggerat
sensum doloris ab igne lustrali; quàm quod
continenter & æqualiter animus ab eo tor-
queatur: secus dum hac in vitâ à nostrate
torquetur. Nam cum hic spiritus anima-
les ad sensum necessarij sint, & ardoris vi
continuo continenterque dissipentur,
efficitur quoque ardoris sensum paulatim
minui, primoque dumtaxat aggressu acer-
rimum esse, quoque vehementior est ar-
dor, dolorque, è citius sensum penitus
obstupescit & extinguui; præsertim cum &
organum

295.
Maximè
quòd lu-
stralis sem-
per urat,
affligatque.

organum tactus ardore isto statim destruitur. At animus nudus minimè indiget ad sensum doloris eâ spirituum ope, solusque in se vim & ferociam ignis excipit. Quare nihil est cur nutescat dolor, cum nihil sit, cur illius causa, acrimonia nimirum ignis lustralis, remittat. Quò pertinet Hilarii commentatio in Psal. 118. ubi explicans illa Regii Prophetæ verba, *Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas*: sic inter alia differit. *Purgatorium vocat indefessum ignem, in quo gravia sustinentur supplicia, per quæ anima à peccatis expiantur.* Ut intelligamus ignem illum ad cruciandum semper æquè expeditum, semper, & indefatigabiliter, æqualiterque, quantum in ipso est, & extra omne impedimentum exercuciare.

296. *Conclusio paragraphi.* Quæ cum ita sint, licet daremus in igne purgante id solum prodigii inveniri, quòd in animas spirituales ipse incorporatus agat, licet, inquam, concederemus nihil illius acrimoniæ naturali divinitus accedere, fatendum tamen esset multò amplius ab illo pati animas separatas, quàm corporibus conjunctas, etsi æquale doloris spatium in utrisque ponatur. Confitendum quoque esset minus doloris ab atrocissimis hujus vitæ tormentis adferri posse, etsi multa simul admoventur, quàm ab igne purgatorio inferatur, pari, ut dixi, tempore. Quippe quòd singulorum tormentorum acerbiteriam vincat acerbitas ignis nostratis in corpora sævientis, & quòd insuper lustralis nostrate plurimis partibus sit acrior, denique quòd animus corporis vinculis expeditus ad ejus sævitiam excipiendam longè sit paratior. Imò ex iisdem sequitur minimum animorum ab igne tormentum maius esse maximis hujus vitæ supplicii, si vis ejus nativa illi integra relinquantur.

297. *Et tamen vis nativa ignis lustralis divinitus auferri potest.* Cæterum eadem vis saltem, ut plurimum vehementer divinitus augetur. Etenim agit in animas ignis, ut justitiæ, potentiaque divinæ instrumentum, unde non tantum habet, ut eas utcumque spirituales, physicè, ac realiter torqueat: verum etiam ut supra naturalem acerbiteriam torqueat, idque pro meritis singulorum. Etenim receptissima Philosophis juxta ac Theologis sententia est, Deum posse virtutem causarum conditarum evehere ad agendum id, quod eam longissimè superat. Quâ hypothesi, ignis lustralis in modum instrumenti se habet, quo immensa illa potentia ad pios manes cruciandos utitur. Atqui instrumentum, malleus v. g. aut lapis, aut gladius, manu, ac virtute gigantæa adactus, longè fortius ferit, quàm vulgari

dexterâ. Ita Bullonii Ducis gladius ejus fortissimâ dexterâ inflictus cameli caput præcidit, & Gregorius Castriotus, sive Scanderbergius, acinace suo medios turcas, sive transversim, sive à capite deorsum versus discindebat. Atque ita ignis purgatorius manu ac virtute divinâ assumptus, longè potentius, acerbiusque perurit pios manes, quàm ingenitâ vi posset. Quam vim maximè significant illi, dum ore Jobi ingeminant solemne illud suum carmen, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Constat enim invictam illam Domini manum in duplum, triplum, septuplum, centuplum, imò in immensum innatam illam ignis acerbiteriam amplificare posse.

298. *Imo augetur.* Et verò recipia amplificare non pauca comprobant. Etenim cum ratio injuriæ Numini factæ, (quæ ratio etiam omnifaltem non levissimâ culpâ continetur) propter immensam ejus majestatem, nescio quid infiniti fortiat, atque adeò superioris ordinis sit, quàm ingenita illa ignis acerbiteria, & præterea cum in alterâ vitâ solvendum sit ad ultimum usque quadrantem, id est, commensâ culpæ pœnâ persolvendâ, consequitur primum innatam illam acerbiteriam multò minorem esse, quàm ut ex æquo culpam puniat. Deinde multum ei accedere debere atrocitatis, ut ad eam mensuram perveniat. Et quamvis pœna culpæ omnino non æquiparetur, quòd citra condignum, ut aiunt, defunctos puniat, tamen ad expositionem ultimi illius quadrantis, paritas aliqua culpam inter & pœnam admittenda est, atque adeò pœna lustralis debet esse atrocissima. Accedit quòd pœna præmio respondere debeat, & justitiæ intersit bene ac malè gestis, quòd quæque merentur, rependere. Quare cum bene gestorum, etiam minimorum, præmia tanta sint, ut ea, aut eorum similia, nec oculus viderit, nec auris audierit, nec mens humana excogitarit, consequitur malè gestorum pœnas ejusmodi esse, ut neque sub oculos, aliūve sensum, aut sub intelligentiam humanam cadant, atque adeò supra naturam assurgant, ac graviores sint iis, quas ignis naturæ vi posset inurere, cum hæ cadant sub experientiam. His adde quòd hac in vitâ, regno utique misericordiæ, noxæ, vel veniales, morte, quâ malum, teste Philosopho, nullum horribilius est, non rarò castigatæ sint. Igitur in alterâ vitâ, ubi plurimum justitiæ, parum misericordiæ, conceditur, pejora morte tormentata illas manent, & proinde etiam ignis vulgari

Patrocinium Defunctorum. Lib. I. 93

vulgarī tormento graviora; præsertim cum ignis tolerantia mors rectè redimatur. Sæviet ergo ignis non innatâ dumtaxat vi, sed aliquâ superiøre ei divinitus impressâ.

299. *Præsertim in culpas mortales.* Quod si verò tantam vim in culpas veniales, exerendam credibile est, nullo modo dubitandum, quin acerbior exeat in mortales, etsi jam condonatas. Ut enim harum malitia infinito spatio distat à malitiâ venialium; ita pœnæ gravitas etiam condonatis debet à pœnâ venialium etiam condonatorum longè maximo distat intervallo: Quod argumentum & fortissimum est, & ingentem ignis expiatorii atrocitatem in mortalium reos ostendit.

300. *Expenditur eius acrimonia.* Præterea sic arguo; supra naturæ virtutem, & nimium quantum desæviet ignis ille quo Deus in Deuteronomio. cap. 32. ait, *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Ubi sermo est de igne, quo hæc universitas conflagrabit. Quæ admirans S. Ephrem Serm. de iis, quæ post crucem revelanda sunt, sic exclamat. *Quomodo tunc fratres mei carissimi sustinebimus, quando videbimus igneum fluvium ab ortu solis usque ad occasum cum furore manantem, & instar ferocis asperique maris montes, & valles devorantem, terram omnem, & quacumque in eâ sunt exurentem?* Quæ omnia non possunt brevi, ut fiet, tempore perfici, nisi ignis ille aliquid virium divinitus accipiat, quandoquidem non pauca sine mixta, quæ diutissimè fortissimeque igni reluctantur. Igitur, & eadem virtute divinâ, purgantes flammæ in pœnam piorum manium armandæ sunt. Enimverò hoc novissimo igne, justorum reliquæ sordes purgandæ, & damnati eodem involuti, in orcum detrudendi sunt.

301. *Varius ab eo cruciatus.* Postremò idem confirmat, & exponit varius ab eodem igne cruciatus. Nam si naturalem dumtaxat virtutem urendo exercet, cum sit causa necessaria, omnesque animas æquè sibi expositas, minimeque resistentes inveniat, omnes æquè adureret, cruciaretvè. At longè aliter evenit. Nam ut inquit Augustinus. Homil. 16. de Resurr. lib. 50. Homiliarum. *Hi qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit; Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, quasi per ignem, per fluvium igneum, de quo Propheticus sermo memorat, & fluvius igneus currebat ante eum, per fluvium, inquam, igneum, & vada ferventibus*

globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit transundi mora, quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationalis disciplina, & quantum stulta iniquitas suggererit, tantum sapiens pœna desæviet. Nec refert, quod iste locus de novissimæ mundi conflagrationis igne à nonnullis accipitur. Nam & ille, ut diximus, divinæ justitiæ, potentiaque instrumentum erit, & justorum reliquas sordes purgabit, atque adeò quod de illo dixit, diceret de Iustrali Augustinus. Et verò Paulinus Epist. 9. ad Severum Purgatorium vocat *ignem sapientem*, & quodam in carmine *ignem arbitrum* nuncupat, scilicet quatenus pro cuiusque meritis vehementiam suam vel intendit, vel remittit, non suapte quidem sponte, sed divinæ justitiæ, cui omnino subicitur arbitrato, & attemperato.

Atque hoc potissimè pacto nostras hic ignis cum purgante, aut avernali collatus, ignis pictus dicitur. Qui loquendi modus, jam olim à S. Polycarpo Presbytero usurpatus est in vitâ S. Sebastiani, à Carthusiano item, aliisque. Et deinceps ab illustrissimo Ecclesiæ martyre, Thomâ Moro in aureo opusculo, Quod supplicationem animæ inscripsit, ubi sic habet, *Ignis ille purgatorius non minus calidissimum, qui unquam in hoc mundo exarsit, ignem calore suo superat, quàm calidissimus ille ignis depictum in pariete ignem suo excedit calore.* Ita ipse. Hac quoque ratione SS. Patres, quos antea protulimus, affirmant minimum ab igne Iustrali cruciatum, acerbiores esse maximo, qui hac in vitâ possit excogitari. Ex quibus omnibus D. Thomæ sententia, nimirum minimam purgatorii pœnam, maximâ hujus vitæ, atrociores esse, affatim probata esse videtur, si quidem illa de acrimoniâ suanihil remittat, quod aliqui Theologi volunt, ut videlicet pii manes eò citius purgentur, quò acrius.

302. *Hoc pacto nosse ignis pictus respectu purgatorii.*

§. 6.

Eadem gravitas ex oraculis, & Sanctorum ostentis, & ex sensu, contactuque piorum manuum comprobatur.

PARS PRIMA.

Oracula, & ostenta.

ORACULA vocamus, quæ vulgus revelationes. Inter hæc autem eminent, 303. *Revelationes SS.*